

Sammelbd

Außen: 1. Teil

13. April 13. August

I. N. S. S. T. A.

DE

TEMPLO
SALOMONÆO,
QUANDO, UBI, A QUO, EX
QUIBUS ET QUOMODO EX-
STRUCTUM FUERIT,

DISPUTATIO PRIMA

EXHIBES QUANDO,

*Quam*Amplissimæ Sepectatissimæque FACULTATIS PHILO-
SOPHICAE JENENSIS PERMISSU,*Publicæ placidæq; Eruditorum ceteraq; submittit*

PRÆSES

M. MICHAEL CHRISTIA-
NVS LVDOVICI

Tröbnic.

RESPONDENTE

JEREMIA BINDERO VINARIENS',

ad diem Januarii,

M DC LIX.

H. L. Q. S.

 Typis SAMUELIS KREBSIL.

IX

THESE
SALVATOR
MEMORIAL





I. N. J.



Non jam ad *Herculis*, quem *πλυτλάνητον*
Ethnicorum *ἔθνη* etiam *Herodem* vocat,
βέζυγον, *Lindi Rhodani* positum, maledictis
migrabimus & execrationibus, nolumus con-
vivia ipsi jactare; neque ad ipsum ipsius quo-
que oraculi jussum. Nolumus ad obscenam
Priapi ædem, quâ in nova nupta super phallum istius colloca-
batur. Quod *Hermionis* aulam, sacra *IRMENSUEL* lustrabimus?
Quid juvabit ascendere *Eresbergum*? Quid *Hartesburgum*, ut
fœdissimum fœdissimi *KRODO* delubrum inspiciamus? Neque
VIZLIPUZLI & *TETZRATHLIPIKA* Americanorum, neque *RADI-*
CISTI, *Obotritorum*, nunc *Magnopolensium*: neque *SVANTOVITO-*
NIS *L. ZVVANTABISTI*, benevoli, neque *Bobu* vel *ZERNEBOCK*, no-
civi *Vandalorum*: neque *FLYNS*, *Lusatiorum*: neque *SIVVAE*,
Prolabrorum: neque *TRIPHAT*, *Brandeburgensium*, neque alius
aliorum quorundam numinis ædes & profana fana nunc in-
gredi, monstrosamque illam *Ethnicæ* religionis felicitatem
contemplari placet. Videat qui vult de hisce & hujus furfuris
aliis, *Orationes Stelienticas Gregor. Nazianz. Chron. Münsteri. Al-*
bert Krantz. Lactant. lib. 1. instit. cap. 21. Dresserum isag. hist. mill. 3.
p. 207. Historische Erquickstunden part. IV. p. 133. & seqq.
Lauremberg. acerr. Philol. cent. IV. hist. 21. 22. p. 693. seq. item Alard.
comm. in argon. Flac. p. 147. Nos migrabimus ad civitatem *Do-*
mini Virtutum Psalm 47. non quidem, ut *Papæi*, sub opinione
cultûs alicujus aut meriti, ne in limine statim, quod quon-
dam *Bernhardus. spiritualis fragrantie scriptor*, monacho cuidam,
eodem, quo nos fert animus, peregrinationem suscepturo,
nobis quis objiciat: *non terrenam, sed cœlestem Hierosôlymam*
requirere propositum esto, & hanc quidem non pedibus proficiscendo,
sed affectibus proficiscendo; Sed ut videamus ibi domum, quam

DEUS ipse ædificare iusserat, ædificatam sanctificaverat, in-
 que sanctificatâ nomen suum posuerat in sempiternum, & oculos su-
 os atq; cor suum cunctis diebus 1. Reg. 9. illam domum, in quâ
 DEI caminus & ignis Esa. 21. Quemadmodum autem in Galliam
 abiturus Henricus Vanderburgius, cum informaretur à Jacobo
 Crucio, quomodo in itinere gerere sese deberet, hoc inter alia
 quoque monitum ferebat: Vide, audi, judica, & iterum: Volo te
 rogare, inquirere, præcontari, importunum esse, modestèq; curiosum.
 ut non nisi te ipsum nihil reportes. sed aliqua ab auribus, aliqua ab ocu-
 lis, Vid. Cruc. lib. 2. ep. 1. p. 145. Ita & nobis dictum putabimus.
 Non videbimus solum, sed audiemus quoque. Aliqua ab au-
 ribus reportabimus, aliqua ab oculis. Non solum ex quibus
 & quomodo, verum etiam quando, ubi & à quo templum Hi-
 erosolymitanum exstructum fuerit, dispiciemus. Proinde de
 tempore primum, quando illud exstructum fuerit, postea de loco, de
 inde de autore vel causâ efficiente, porro de materiâ & tandem de fi-
 gurâ quoque istius agemus. Si autem prolixius non nihil, præpri-
 mis in hac primâ disputatione, & tuis quidem, quæ huc non
 necessariò, vel minore saltim numero adducere potuiste vide-
 bimur, rogamus ut B. L. nobis condonet, & causam hujus au-
 diat. Nolumus omnes delectare & juvare, quia neque omnes
 volunt, neque nos id possumus. Volumus aliquos, & unò qui-
 dem in pluribus. Istos volumus, quos non heri demum aut
 nudius tertius honorare, audire, sequi iussit Divina Majestas.
 His si satis fecimus, satis haut dubiè fecimus, si tamen & Tibi,
 gratulabimur piam istam mentem, nobisque felicitatem.

ESTO ERGO

§. I.

Tempus, quò sapientissimus ille totius mundi Rex,
 Salomon, pulcherrimum dilectissimi Parentis sui, Da-
 vidis, testamentum de exstruendâ Nomini Domini
 domo exequi cœpit, in I. Reg. VI. v. 1. & 2. it. II. Paralip. III. v. 2.
 significatur, quod videlicet fuerit annus quadragesimus & octo-
 gesimus egressionis filiorum Israel de terrâ Egypti, mensis secun-
 dus, Sif, dies secundus, annus regiminis vel imperii Salomonis quar-
 tus.

ius. Quotus hic fuerit annus à conditō Mundō, non adeo clarum est atque perspicuum. Variant autorum sententiæ, nec in celebres quidem.

§. II.

Philo. vir, Eusebii iudicio, sensibus amplius & scripturarum contemplationibus altus atque sublimis, in tabulâ, darinnen die Jahr von Anfang der Welt kurz verfasst sind/ prout ipsa inserta est Chronico Carion p. 78. ponit annum 2933. Cum eò faciunt Megalander noster Lutherus in chronologiâ Bibl. annexâ, Melanchron & Peucerus in complementò Chron. Car. Mathematici Viennenses in tabul. Chron. annò 1571. editâ cit. Alstedii in thes. Chronol. p. 339. Canones Prutenici p. 141. f. b. in catalogo rerum memorabilium quarundam. Calvisius in isag. Chronol. c. 37. 155. & 248. Dresserus in isag. histor. millen. 2. & 3. a pag. 45. ad 156. Bucholzerus in indice Chronol. pag. 16. & Alstedius c. l. pag. 10. 14. 33. & aliis in locis, neque inter hos discrepantia, nisi quod Lutheri & Bucholzeri numerus reliquorum unitate supra, Alstedii vero unitate infra est, de quò sub calcem in genere aliquid monebimus. Josephus autem in pedisequâ suâ V. T. ut aliqui adpellant, h. e. libris antiquit. Judaicarum, np. l. VIII c. 2. p. m. 110. devortium facit, dum l. c. hæc habet verba: Exorsus est Salomon fabricam banc, sc. tetapli, de quò πῆδός παρὸν, annis 610. duobus, postquam Israëlita ex Egypto exiesserant: mille & viginti annis post Abrahami ex Mesopotamienâ regione in Chananaam migrationem, post diluvium verò annis 1440. Quod si ab Adamò creato usq. ad templi edificationem, temporum ratio subducatur, comperientur anni 3102. In suam Josephum sententiam qq. citat Polydorus Virgilius lib. 3. de rer. Inventor. p. m. 206. Vicissim aliter sentit Pareus, dum in curriculo IV. Synopses Chronol. alteri ejus orationi Chronologica annexæ ponit annum 3003. Ex his quæ sit sententia amplectenda, ne pro Junone umbra accipiatur, nisi qui calculum ipse sumat & juxta Scripturâ indicinam eum ponat, quemque tandem elicit numerum, cum reliquis conferat, dicere ac definire non potest. Hoc itaque monstraturi monstrantem nobis viam sequemur hanc rationem, ostendentes ex scripturâ (1.) tempus servitutis Egyptiæ, quia ab illò placet scripturæ numere

rare tempus, quò inchoata est structura templi, (quò vero non potius à creatione mundi, aliorum promunt scrutinia, unde isti supersedemus) (2.) quò ea cœperit annò Mundi, ex eadem producemus. Hisce enim erutis si addentur illi, qui præterea præterlappi sunt, antequam templum ædificaretur, habebimus, quod volumus.

§ III.

Duabus autem vicibus & geminis in locis Scriptura ipsiusdem, sc. Ægyptiæ servitutis, quamdiu duraverit, mentionem facit, sc Gen. XV. v. 13 antequam inciperet, & Exod. XII. v. 40. postquam desineret. Ibi ab Abrahamum de eâ ita DEUS: *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terrâ non suâ, & subjicient eos servituti & affligent quadringentis annis.* Hic autem dicitur: *Habitatio filiorum Israël, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis eadem diem egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti.* Pugnare autem hæc videntur, quia numerus posterior major est priori 30. integris annis. Sequuntur tamen uti meritò quidem, *Philo c. l. Melanchton & Peucerus ibidem, & alii,* quos quidem tenera nostra vidit ætas. Verùm *B. Lutherus* videtur cohibere assensum, dum in *Chronol. cit.* uti ipsius fertur, circa A. M. 2314. inquit: *Alhier heben sich an die Jahr der Dienstbarkeit des Volkkes Israel in Eypthen/ welche/ wie etliche dafür halten/ gewehret hat 144. Jahr.* Neque excusant ipsum verba, quasi non ita senserit, sed aliorum saltim opinionem recensuerit, *wie etliche dafür halten/* quia & sua utique ea facit, nusquam in antecedentibus mentionem eorundem faciendo, cum tamen aliorum faciat, quæ annotare tanti fortè non intererat. Duplex proinde hîc conciliatio adhibenda, altera scripturæ & scripturæ, altera verò *Lutheri* & scripturæ, quæ speciem sibi invicem contradicentium,

§ IV.

Eam factam putant *nonnulli*, si dicant, latere in alterò adductorum locorum sphalma numerorum, ut vel in loco *Gen.* triginta anni omitti, vel in alterò *illo Exod.* non habito ad vaticinium de duratione illius servitutis respectu, adjecti fuerint.

Verùm

Verum nondum facta est. Veste B. Gerbaro comment. in Gen. in loc. cit. p. m. 338. omnes sane Codices Hebraei, Onkelos, LXX: Interpretes, & Stephanus quoque $\sigma\epsilon\phi\alpha\sigma\iota\tau\eta\varsigma$ Act. 7. v. 6. quasi uno ore quadringentos solum recensent annos: Triginta vero praeter Mosen iisdem adhuc addit quoque Paulus, Magnificus ille Christi discipulus, uti B. Nazianz. ipsum vocat, Gal. III. v. 17. Ista illi, hoc huic stabiliendo inservit. Aliam itaque viam ingrediuntur Hebraei, dicentes. praetermittit in loc. Gen. triginta illos annos, qui elapsi erant a prima Abrae ex Ur Chaldaeorum (Camirinem vocat Eusebius & Plutarchus in vita Alexandri Orismada) vocatione usque ad nativitatem Isaaci, quidpe de quo praedictio illa Divina intelligenda. Sed intercluditur ipsis juxta B. Gerbardum c. l. ea hoc, quod praedictio illa non tum statim quoque & eodem tempore, sed decem demum integris annis post facta. Ergo, vel nondum praeterierunt omnino illi 30-anni, & proinde nec satis commodè in illò Exod. adjici possunt totidem, sed, si quidem illa Scripturae mens, dimidiati saltem, nempe quindecim; Vel ab oraculo edito ad exitum Israëliitarum juxta loc. Gen. 400. non possunt numerari anni, sed 385. tantum, ut quindecim ipsis demantur. Nec tenet tamen sententia quoque, tametsi ab illa Abrae ex Ur Chaldaeorum vocatione, quasi eodem cum ipsa tempore vel biennio saltem, triennio aut quadriennio post facta esset praedictio, ut quidem contra Pareum in elencho utriusque omnicionis Chronologicae vult & operose probat Scaliger, annorum illorum initium sumatur, restant enim ubique adhuc aliquot anni. Optime ideo conciliationem tandem institui posse autumamus, si dicamus, Scripturam sacram servare hic, uti alias quoque in numerandis temporibus solet, morem suum, ut nimirum, quod de summa perfectioris numeri paululum excrescit, aut infra est, non computet, ut quest. 47. in Exod. augustissimus Pater Augustinus annotat. Fieri dicunt, hoc si fit, interpretes per rotundationem. Atque ita quoque laudatissimus explicat Gerbardus l. c. Veritatem addubitanti in $\sigma\mu\phi\iota\lambda\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha$ luce exemplorum obviabimus.

Secunda conciliatio fufiore non nihil defiderare videtur diductionem. Oftendendum etenim, unde & per quos fuos *Scriptura* numeret annos, unde item fuos *B. Lutherus*, unde utriusque discrepantia, & quò ea tollenda modò atque mediò. Nimirum *Scriptura* juxta *Judeorum* explicationem inchoat computationem à nativitate Ifaaci, primò videlicet *Abrahæ* femine, quò de oraculum iftud editum. Hujus à nativitate ad nativitatem *Jacobi* numerat annos 60. *Sexagenarius enim erat Jacobus, quando nati sunt ei parvuli. Jacob & Esau. Gen. 25. v. 26.* hujus à nativitate ad adventum in *Ægyptum* numerat annos 130. Cum enim *Jacobus* ftatueretur coram rege *Pharaone*, absque illò de diebus vitæ interrogaretur, respondēbat: *Centum & tringinta annorum sunt dies peregrinationis vite mee Gen. c. 47. v. 9.* In *Ægypto* autem septendecim adhuc annos delicatiffimò illò fuò munere vitæ natura ipsum fruisi permifit, juxta *v. 6. c. 28.* atque ita à cunis ad capulum ejus centum & quadraginta septem numerantur anni. Hujus mortem fecuta est mors *Josephi* annis post 53. (*Vixit enim centum & decem annos, juxta ultima primi Bibliorum libri verba, & quidē 57. vivò parente Jacobo, triginta quatuor scilicet cum ipsò, septendecim antequam ipsi raperetur, Gen. 37. v. 1.* totidem que postquam jam redditus esset, *c. 47. v. 28.* & viginti tres, quatuordecim in adversitate, & novem in prosperitate, juxta *capp. 42. v. 46. & 45. v. 6.* sine ipsò, vivò tamen & superfitte; Reliquos autem quadraginta tres, qui unà totum vitæ paufam conficiunt, illò nimirum Parente extinctò jam & ad populum suum appofitò exegit, Ergo, ut quilibet videt, totidem annis post fatò fuò functus ad plures se penetravit.) A morte *Josephi* ad ortum *Mosis* numerat annos 90. hujus ab introitu ad *Israëlis* ex *Ægypto* exitum 80. juxta *Exodi cap. & vers. 7.* Hi omnes in unam collecti summam efficiunt annos 430. atque ita juxta *Judeos* numerat *Scriptura*, quam computationem quoque exofculantur *Augustinus Hipponensium Episcopus, Augustinus Tornielius in annalib. Pererius, Piscator, Toffanus* aliique, uti quidem citat *B. Gerhard. l. c.*

S. VI.

Verùm B. noster *Lutherus* aliunde suam inchoat computationem, ab eò nimirum annò, quò Abraham ex Ur Chaldæorum vocatus est, uti ex *Chronol. cit.* probari posse videtur, Ibi enim circa illam Abrahæ vocationem & ætatem hæc habet: Von dieser Reise an bis auff den Auszug der Kinder Israel aus Egypten sind 430. Jahr. Ne verò quisquam dubitet, num fortassis non impertinenter hæc adducamus, quum B. Vir fortè non tempus servitutis illius & afflictionis Israeliticæ, sed solùm tempus egressionis & Israelis ab illâ servitute liberationis significare iisdem voluerit, quando, num eò ipsò evocationis Abraimiticæ annò, num verò aliò ea ceperit, non considerato vel significatò, commonefacimus ipsum statim locorum ex utroque fœdere, Veteri & Novo, servitutem istam, exprimentium, simul ab ipsò adductorum, quæ utique nullam facillè mentem in contraria ferri aut lubricitate sinent. Illum computationis terminum facit quoque *Josephus lib. 2. antiq. Judaic. c. 6. p. 28.* inquiens, *Reliquerunt filii Israel Ægyptum mense Xanthico, lunâ quintadecimâ, anno quadringentesimo trigesimo, postquam Abraham pater noster in Canaanam venit.* Adjicit sua puncta *Chron. Canonis lib. 2. p. 105.* *Calvisius* ab eodem annò ad eundem, si unicum saltim ubique demas, calculum ponit. Hic quoque & necessariò inchoandum censet *Scaliger l. c. p. 45. & 58.* & cum *Pareus* decenniò post initium faciendum conclusisset, quod eò tempore DEUS Abrahamo promissionem de semine suò dederit, eique symbolicam confirmationem annexerit, cæsa nimirum & porrecta hostiarum, quod antequam nunquam factum fuerit; responderet ille insciando assumptum, hoc videlicet, quod promissio illa tum Abrahamo primùm data, neque ante ulla istius mentio facta fuerit. Et probat sufficienter contrarium, videlicet, quod utique promissio illa Abrahamo diu ante, nempe cum ex Ur Chaldæorum vocaretur, facta, hic autem solùm repetita, utque firmiori eam amplecterentur fide, ad quos pertinebat, certò symbolo confirmata fuerit, sicuti & secunda & tertia quoque instaurationes, illa quidem τῆς πελοπονήσ, hæc autem Ἰσραὴλ institutò;

B

enim-

enimverò hæ accessiones vel *appendices* *Ἐπιπυρώματα* solum
 erant ipsius *παρυσελίας*, non autem *ἄρχῆ*. Et benè addit ib.
Si illa appendices τόμια sicut, ita Græci, vel διχοτομήματα,
ut Patres casa illa & porrecta hostiarum vocabant, περιτομή &
holocaustum cum jure jurando digna essent, ut ab illarum unâ ini-
tiium annorum caperetur, prius disceptandum fuerit, præstantiorane
sint τὰ τόμια, quam ἡ περιτομή, & ἡ περιτομή quam jusju-
randum DEI, & nulla tum finis altercandi. Distinguere itaque
 debuisset Pareus inter promissionem ipsam, & inter appendi-
 ces vel accessiones, quæ promissioni postea repetitæ vel instau-
 rata fuerunt additæ. Sed iterum ad eos qui consentiunt B.
 nostro *Luthero*, quorum ultimam facimus *Alfeldium*, qui in
rheta chronol. pag. 29. σύμφερον ita ostendit: à peregrinatione
Abrahami ex Haran numerandi sunt anni peregrinationis & ser-
vitutis Exod. 12. & Gal. 3.

§. VII.

Adeo verò non isthæc nodum solvunt, ut difficiliorem
 potius reddant, terminosque, unde solutio inchoanda, magis
 latere & abscondi faciant, addendo novam insuper difficulta-
 tem de viginti quinque illis annis, qui juxta calculum *Lutheri*
 aliorumque à vocatione *Abrahæ* ex *Ur Chaldæorum* ad nati-
 vitem *Isaaci*, unde scriptura inchoat, computationi scriptu-
 ræ superadduntur quidem, nec tamen cum reliquis in unam
 collecti summam super scripturæ numerum totidem annis ex-
 crescent. Debent sanè additi illi 25. constituere annos 455.
 tot enim faciunt subducti 430. sed solum 430. faciunt, quasi
 computatio eodem ab anno inchoata esset & eodem tempore,
 eum tamen 25. ante. Adde, quod nobismet ipsis ita contradi-
 cere videamur, cum supra §. 3. dixerimus, *Lutherum* statuere
 144. annos servitutis *Ægyptiaca*, nunc autem eum totidem,
 quot scripturam, puta 430. numerare asseramus. Quod si,
 utique non dissentiet, sed consentiet, quod contra nos est.
 Et quod maximum, atrocem hoc modo beatissimo Viro inju-
 riam facere videmur.

§. VIII.

Ad primum dicimus, difficultatem illam oriri ex dissonan-
 tiâ

tiâ calculi, qui inter mortem Josephi & nativitatem Mosis
diversimodè & à computantibus aliter atque aliter ponitur.
Calculus *Scripturæ* signat tempus nonaginta, *Lutheri* verò &
qui eum sequuntur, sexaginta quinque annorum monstrat
periodum, uti patet ex chronologiis & computandi ratione.
Atque inde est, quod, quamvis *Lutherus* viginti quinque annis
ante scripturam computationem suam inchoet, & ad eundem
cum ipsâ terminum illum ducat, plures tamen annos non eli-
ciat, quam ipsa; Quot enim annos in fronte adponit, viginti
quinque nimirum, tot sub calcem iterum demit, ab interca-
pedine videlicet illâ dictâ, quæ inter mortem Josephi & nati-
vitatem Mosis fuit, eosque numerante scripturâ, vel potius
Judæis scripturam ita explicantibus, & illam ipsi mentem sti-
buentibus, non numerat, sed reticet,

IX.

Neque vero præter verum dixisse quid videtur, sta-
tuendo non 90. sed 65. solùm annos à morte Josephi ad ortum
usque Mosis. Tot enim annos numerant præstantissimi chro-
nologi. Ita *Philo in tab. supra cit.* dum à nativitate Abrahæ ad
nativitatem Mosis numerat annos 425. Ubi necesse est ponat
a morte Josephi ad nativit. Mosis annos 65. hi enim cum iis,
quos scriptura à nativitate Abrahæ ad mortem Josephi expres-
sè, adeoque extra omnem controversiæ & dubitationis aleam
ponit, constituunt numerum illum assignatum. Si vero 90.
posuisse credi debeat, emergent 450. Sequuntur, quem sapiens
Imperator Ferdinandus mirè commendabat, & præter insignem
eruditionem gratia quadam fatali polluisse *Emsmus* affirmabat,
Melanchton it. *Peucerus in compl. chron. Carion.* uti quidem luce
meridianâ clarius elucescit *ex lib. 2. pag. 105.* ubi inquirunt:
65. Jahr nach Josephs Tod wird Moses geboren / & p. præced.
ad marginem: Merck / zwischen Josephs Tod und Moses Ge-
burt sind 65. Jahr. Consentit *Dresserus in isag. histor. p. 150. &*
154. item *Bucholzerus in ind. chronol. pag. 8.* modò, quod horum
numerus annò minor sit. Amplectitur eandem sententiam
Alstedius, Eximius ille chronol. magister, ut eum vocat *B. Glaff.*
Gramm. sacr. l. 3. rr. 3. p. m. 547. in thes. chronol. multis in locis,

unius saltem jam mentionem facimus, nempe illius, qui p. 30.
habetur, ubi Josephum dicit mortuum a. M. 2309. Mosen autem
natum an. 2374. Quæ inter 65. anni, ut & cæcus videtur.
Ὁμολογῶ quoque est, qui bujus florentissima Academia, dum
erat, erat Palladium, Pharos, columna, corona, fixus in locò fi-
delli paxillus, imò eruditio ipsa. B. Gerhardus, uti in laudatione
funebri excellentissimus eum vocat Dilherrus, & geminis quidem
in Genesi in locis, nimirum p. 338. & p. 357. Ibi quidem pa-
tenter, hic vero latenter, dum Mosen 118. annis post mortem
Jacobi natum asserit, ubi itidem 65. solùm ponendi sunt inter
mortem Josephi & nativ. Mosi anni. Tot enim si addantur
53. illis, quos post Jacobum Josephus adhuc vixit, constituunt
illum numerum. Sin vero 90. quis velit, jam emergerent ani-
ni 143. Plures non addimus, quia res clara est, & hæ utram-
que paginam facientium Virorum autoritates atque consen-
sus nobis sunt pro demonstratione, uti quidem merito debent
in iis, quæ ex scriptura sacra demonstrari non possunt, ut habent
Scaligeri verba c. l. p. 57.

§. X.

Quod vero Judæi & qui eos seqq. 90. posuerunt annos,
id juxta nostrum quidem, sed obtusi sensus mensuram ideo fe-
cisse videntur, ut ne quid detrudere accusentur dictis illis §. 3.
adductis. Si enim à nativitate Isaaci computatio est inchoan-
da & ad exitum Israelis deducta, numerum, quem illa dicta,
signare debet, totidem, nonaginta videlicet anni à morte Jo-
sephi ad nativitatem Mosi necessariò sunt numerandi, reliqui
enim articuli, per quos calculus ducitur, clarissimis semper &
ubique expressi sunt verbis, nullam idpropter vel ἡὸς Ἰσραὴλ vel
ἀφαιρέσων Ἰσραὴλ χόμεινοι, nisi limpidum, ex quo promanant, quis
surbare velit fontem, injiciendo sui cerebelli cænum, ut pulchrè
in explicatione alicujus dicti Biblici contra interpretum quo-
rundam temeritatem Philippus. Noluerunt autem ii homines
inde, unde B. Lutherus computum facere, ne non satis com-
modè dixisse viderentur, si oraculum istud de subjiendo &
adfigendo semine Abrahæ impleri cœpisse dicerent, cum
nondum esset, sed viginti quinque demum annis post esse
cœpisset,

coepisset. Quod tamen citra incommodum & absurditatem dici potuisse putat *Lutherus*, si dicatur modò, quod Abrahamus, cum ex Ur Chaldæorum vocaretur, declaratus sit pater istius populi, quod subjiendum erat & affligendum, & quod ab illò ipsò tempore censendus sit pater, quanquam adhuc sterilis.

§. XI.

Ad secundum respondemus, neque *B. Lutherus* contradicit scripturis, neque nos nobis, neque etiam injuriam facimus beatissimo Viro, sed hæc dextrè explicanda. Nempe *B. Luth.* distinguit servitutem & afflictionem filiorum Israel ab eorundem habitatione & peregrinatione. Eam, servitutem nimirum dicit durasse annos 44. scilicet à morte Josephi (*tum enim surrexit rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph, & ille ait ad populum suum, ecce, populus filiorum Israel multus est & fortior nobis, venite, sapienter opprimamus eos &c.* & paulo post: *Præposuit itaque eis magistros operum, ut affligerent eos oneribus Exod. 1. v. 8. & seqq.* Vide qq. pulcherrimè tristissimam istam catastrophem depingentem *Josephum lib. 2. archaeologia cap. 5. p. 24.*) ad liberationem ab ipsà, quæ facta octogesimò Mosis anno juxta *l. supr. cit.* Atqui inter isthæc tot præter propter sunt anni, puta 65. à morte Josephi ad Mosis nativitatem, & 80. ab hac ad educationem per Mosem præstitam. Ita quoque explicat scripturam *Dresserus, Etsi*, inquit, *Moses & hunc secutus Paulus annos 430. numerant, tamen illi non sunt anni commorationis Hebræorum in Ægypto, sed totius peregrinationis Abrahami & posterorum ejus à migratione ex Haran &c. vid. Isag. hist. millen. tertio p. 157.* Item laudatissimus *Gerhardus c. l. p. 339.* inquit, *Notandum, hosce 400. annos esse referendos non solum ad afflictionem & servitutem, sed etiam ad peregrinationem conjunctè non disjunctè, quia servitus & afflictio post mortem demum Josephi capit, distinguendum ergo tempus servitutis à tempore habitationis, cum illud hoc posteriore sit angustius.* Adde quoque *Dn. D. Waltherum in Harm. Bibl. p. m. 98. Friedlieb. in theolog. exeget. V. T. p. 58. f. b. ant. 20. item, Pl. Rev. Amp. & Excell. Dn. D. Christianum Chemnitium SS. Theol. D. P. P. ut & Pastor & Superin-*

tendent: hujus loci bene merentissimum, Dn. Praceptor. & Promotor.
 meum nobiliori cultus genere mandandum quest. super cap. XV.
 Genes. 2. Quando autem scriptura dicit; peregrinum futurum
 semen Abrahe in terrâ non suâ, fore item, ut subiciatur & affligatur
 annis quadringentis Gen. 15. v. 13. his; ὄμωα denuo Exod.
 12. (Usurpabimus alterum solum numerum, & unum perinde atque
 alterum, quia de eo jam conventum) conjungit illa servitutem
 cum habitatione & peregrinatione; communi illô servitutis
 vocabulô significata. Atque ita quidem sentiens tantum ab-
 est, ut Lutherum habeat absentem, ut potius alios absen-
 tientes confutantem eum audiat. Quod enim illa numerat
 annos, tot & ipse. Quot durasse dicit annis servitutem illam
 præcisè spectatam, & à peregrinatione atque habitatione di-
 stinctam, tot & hic, tot quoque si eadem conjungat, & commu-
 ni illô servitutis atque afflictionis vocabulô indicet, uti qui-
 dem ex hæcenus dictis satis constare, & hoc ipso quoque ab
 ἀλλογενείᾳ & injuriæ illatæ suspitione nos liberasse putamus.
 Tota g. res conficitur unicâ distinctione, quam videlicet jam-
 dum attulimus, & proinde, ne crambem bis coctam appona-
 mus non repetimus.

§. XII.

Extricavimus ita juxta promissum §. 2. tempus duratio-
 nis servitutis Egyptiacæ, cujus in extinctione templi nostri
 mentio injicitur; jam quònam ea cœperit anno mundi, ut
 paucis quoque investigemus & subnectamus, restat. Dicimus
 autem brevissime, traxisse eam initium a. M. 2023, Quod qui-
 dem beneficiô chronologorum & arithmeticorum per tres, eosque
 indubios quasi & ἀφωρισμένως ostendi potest articulos.

§. XIII.

Primus numerat annos à C. M. ad diluvium nimirum
 1656. quos ex cap. V. Gen. libro illo generationum Adæ, uti in-
 scribitur, & cap. 7. v. 6. etiam qui ære nondum lavatur, nullô fe-
 rè negotiô eruere potis est, si attendat modò, calculum po-
 nendum esse ad istum Patriarcharum annum, quò liberos genera-
 re cœpisse narrantur, quod B. Salomon Gesnerus disput. V. Biblicâ de
 vitis Patriarcharum ante diluvium quest. 3. §. 18. ex Josephô
 præcipit,

præcipit, & quod ex eodem addit *Alstedius c. l. p. 19. istos annos pro completis esse habendos, h. fortassis m.*

<i>Adam</i>	}	anno	}	genuit	}	<i>Serb</i>	}	<i>130</i>
<i>Serb</i>						<i>Enos</i>		<i>235</i>
<i>Enos</i>	}	}	}	}	}	<i>Cainan</i>	}	<i>90</i>
<i>Cainan</i>						<i>Mababael</i>		<i>325</i>
<i>Mababael</i>	}	}	}	}	}	<i>Jared</i>	}	<i>70</i>
<i>Jared</i>						<i>ergo</i>		<i>395</i>
<i>Enoch</i>	}	}	}	}	}	<i>Enoch</i>	}	<i>65</i>
<i>Enoch</i>						<i>A.M.</i>		<i>460</i>
<i>Mathusal.</i>	}	}	}	}	}	<i>Mathusal.</i>	}	<i>162</i>
<i>Mathusal.</i>						<i>Lamech</i>		<i>687</i>
<i>Lamech</i>	}	}	}	}	}	<i>Lamech</i>	}	<i>65</i>
<i>Lamech</i>						<i>Noe</i>		<i>874</i>
<i>Noe</i>	}	}	}	}	}	<i>Noe</i>	}	<i>182</i>
<i>Noe</i>						<i>Sem</i>		<i>1056</i>
						<i>Sem</i>		<i>500</i>
								<i>1556</i>

Hoc anno M^o 1556. *Noachus* δ'ευρετ' ο' Αδ'αμ, ut *Theodoretus* ipsum depellit, erat 500. annorum, ut patet, post centum autem annos inundaverunt aqua diluvii super terram, juxta *cap. 7. Gen.* totidem itaque si adduntur annis mundi, (coincidere enim duntantur anni mundi & anni ætatis Noë) habebimus numerum adsignatum, nempe anno 1656. Placent hæc *Philoni. B. Luth. Melanch. & Peucero in compl. chron. Car. p. 78. Dressero l. c. p. 45. Buchholzero c. l. p. 2. Cluvero. Gerharo c. l. p. 199. Reinboldo in can. Prutenicis l. c. Mathematicis Viennensibus c. l. Alstedio l. c. p. 13. & innumeris aliis.* Quod autem *Josephus l. 1. antiq. Jud. c. 4. p. 4. & 5.* integros mille annos plures numerat, in eo traditione suorum deliquit, deceptus & in errorem inductus est, uti de ipso, quando errat, *Franckenbergerus part. 1. instit. antiq. & hist. p. 20.* loquitur. Nos igitur non moratur, sicuti nec *LXX. Interpretes*, qui annos numerant 2362. Rectè enim istum calculum mendosum pronunciat *Alstedius c. l. p. 19. errore orto ex malâ numerorum collatione in Græcâ versione cap. 5. & 11. Gen.* ut putat *Dresserus l. c. p. 46.* vel ut citante *B. Gesnero cit. l. q. 2. §. 9.* existimat, *lib. XV. de civ. DEI c. 13. Augustinus, ex incuria librariorum, aut perfidiâ Judæorum,* quod tamen aliis non videtur credibile, ob rationes non rejiculas, quas, ut affolet, optime congescit, qui nunc in indulgentia coeli, *Dr. D. Sal. Glassius Philol. Sacr. lib. 1. tract. 1. de textibus Hebraicis in V. T. puritate, p. 1. seqq.* ubi facta recta

ista. Add. *Dn. D. Waltherus in harm. Bibl. libell. prior. p. m. 11.*
 Neque ea ipsa quoque mens *D. Augustini* fuisse videtur, cum
cit. laud. Glassio cit. loc. p. 18. locò adducto Judæorum malitiam
 atque perversitatem tantum non potuisse probet, propter codices
 tam multos & tam longè lateque dispersos, eumque qui istud cre-
 dere velit, imprudentiæ arguat; Verba ejus citantur hæc: *Ab-*
sit ut prudens aliquis Judæos cujuslibet perversitatis atque malitiæ,
tantum potuisse credat in codicibus tam multis, & tam longè
lateque dispersis. In quæ Ludovicus Vives: Hoc responderi potest
bis, qui falsatos corruptosque ab Hebræis V.T. codices objiciunt. Non
videtur à vero absentire B. Glassius l.c. p. 50. inquit: Ego sentio,
Interpres istos certum annorum mundi usque ad sua tempora nume-
rum ex traditione quadam sibi proposuisse, quem cum textui He-
bræo minus conformem esse viderent, numeros annorum vita Pa-
triarcharum in versione suâ variè mutarunt &c. Quicquid sit, nos
Hebraicam malumus sequi veritatem, non dememores ejus,
quod Augustinus jubet, inquit: Rerum gestarum fides ab eâ linguâ
petenda est, ex quâ interpretatum est, quod habemus. Et quod
Cassiodorus lib. 1. instit. cap. 15. Decet ut unde ad nos venit salutaris
translatio, inde iterum redeat decora correctio. Atque hæc de
primò articulo, quem Varro, ut hoc obiter adjiciamus, tempus
ἀόδηλον vel incertum nominat.

§. XIV.

Secundus signat annos à diluvio ad nativitatem Abrahæ,
 videlicet 292. Atque hi ex *Gen. XI. v. 10. & seqq.* facillimè pariter
 & lucidissimè elici possunt, notatò saltim *juxta Affledium l. c.*
 hęc, quod regula ex *Josepho* supra adducta non amplius (addimus
 nos: secundum omnem sui partem) teneat, & proinde compu-
 tatio juxta ipsius tenorem non possit institui, sed anni quandoque
 pro currentibus, quandoque pro completis sint habendi, h. m.

<i>Sem</i>	} ætatis anno	} 102 35 30 34 30 32 30 29 70	} genuit	<i>Arphaxad</i>	} ergò post diluvium annò	} 2 37 67 102 135 163 193 222 292
<i>Arphaxad</i>				<i>Arphaxad</i>		
<i>Sale</i>				<i>Sale</i>		
<i>Heber</i>				<i>Heber</i>		
<i>Phaleg</i>				<i>Phaleg</i>		
<i>Ren</i>				<i>Ren</i>		
<i>Sarug</i>				<i>Sarug</i>		
<i>Nachor</i>				<i>Nachor</i>		
<i>Thare</i>				<i>Thare</i>		

Ita

Ita quoque præter eos quos supra citavimus, sentit *Josephus*, *l. b. 1. antiq. c. 7. p. 7. natus est*, inquit, *Abraham post diluviu- anno secundo supra ducentiesimum & nonagesimum. LXX* verò iterum dissentiunt, annos numerando 1172. sed meritò ipsos deserimus, quia cum Ebraicâ non conveniunt veritate, ad quam *m. V. T. ort a diversitate recurrendum nobis præcipit Hieronymus ep. 135. ad Suniam & Eretellam*, scilicet ut aliorum fidem de eâ examinemus, autore eòdem in epistolâ ad Lucinium. Nolumus quoque audire *Hebræos*, qui, dum in librò *Seder olam* à diluviò ad divisionem lingvarum 340. numerant annos, quæ tamen teste *B. Gerbardol. c. p. m. 267. 122.* adhuc annis ante Abrahami ortum facta est, similiter abludunt. Sed hæc de secundò quoque articulò.

§. XV.

Tertius tandem ostendit annos, qui à nativitate Abrahamæ ad illiusdem ex Ur Chaldæorum vocationem, unde videlicet initium servitutis Ægyptiacæ faciendum, se circumegerunt. Sunt autem septuaginta quinç; , uti quidem non potest non manifestum esse illi, qui accuratori pupillâ inspicit *v. 3. cap. 12. Gen.*

§. XVI.

Atq; hi tres articuli constituunt illud dictorum annorum curriculum, nimirum 2033. subductis jam primò annis servitutis, np. 430. & deinde 480. (qui plures numerant, eos sollicitius non putamus refellendos, cum tutissimè sequi possimus, quæ Spiritus S. definit,) illis, qui ab illâ servitute ad initium fabricæ templi adhuc præterlapsi sunt, emergunt anni 2933.

§. XVII.

Ex hisce cuivis cognoscere datur, cui ex superius §. 2. positis, assurgendum sit sententiæ, cui itidem abludendum, & quid de aliarum quoq; , qui forte in manus venire possunt, sit sentiendum Patronis. Nimirum utiq; amplexenda & in veritatis arcem ponenda est ea, quæ primò loco posita & hactenus per articulos suos ducta est tam liquidè.

cum sudum est solis quàm radii esse solent.

Cum enim *scripturam sacram habeat ὀδὴν, Virosq; doctissimos arietes, quis eam agnus non sequatur?* ut pulcherrimis *D. Augustini* verbis utamur.

C

§. XVIII.

§. XVIII.

Quod itaq; *Josephum* attinet, ipsū utiq; iterum accidit, quod supra ex *Franckenbergero* diximus, quod scilicet *emendatione aliquā suorum in errorem inductus sit & deliquerit*, atq; iccirco hāc vice, non iniuriā est relinquendus. Si enim *Ἡ σωτηρία τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οὐκ εἰς ἀνασφάλαν*, ut auro contra cara habent *Aristotelis* verba lib. 1. *eth. Nic. c. 6.* hoc est, oportet veritati ita esse addictos, ut pra illā vel nostra ipsorum decreta evertere non dubitemus, quid aliorum servemus & sectemur placita, licet & regiō & hōc sublimiori adhuc ii sint orti loco, ut quidem *Josephus* fuisse fertur? Et hoc ipso quoq; quod & quantum à verō aberret, & parili abinde modō ad sensu desituendus sit *Pareus*, ante oculos eminent. Si jocularē, ut *aliger Scaliger* vocat, computationem ipsius ipse quis inspicere velit, amandamus eum ad dictum *Scaligerum*, cujus in *cit. elench.* & diligentissimē notata & sufficientissimē confutata deprehendet singula, ut proinde non opus sit huic ea inferere. Hoc solū, idque ut promissioni supra in *thesi à primā proximā* factā stemus, adjicimus, adducere inter auctores alios annos incompletos & habere tamen pro completis, alios autem eos negligere, quod quidem non oscitanter meditandum praecipit in *pref. thes. chron. observ. 11. Alstedius*. Atque inde est, quod nonnunquam computationes spatiō aliquō discrepant, se invicem excresecunt, aut etiam infrā sunt. Verū, quia in *hisce partium est chronologis praesidium*, quō inextricabilia omnia expedire & Gordium secare nodum se posse gloriatur *Butholz. l. c. p. 39.* eō propter exiguum ejuscemodi dissensum non statim, deijcere & quasi errore aliquō seductos rejicere illos decebit.

§. XIX.

Atq; hęc de tempore & anno mundi, quō Salomon exorsus est fabricam templi, quibus subnectuntur in textu quoq; mensis & dies, quod factum videlicet fuerit initium die secundo mensis secundi, qui dictus erat *יָרֵךְ* vel *יָרֵךְ Sif. vel Ijar.*

§. XX.

Tempus hoc *Calvisius* in *Isagog. chronolog. c. 37. p. 155. & 248.* rejicit in 6. diem nostri Mal. Juliani. Eum seqq. *Scaliger, Heviusus, et Paulus Crellius* in *Promptua. Bibl. in synopsi characterum p. 544.*
Alstedius

Alstedius verò l. c. p. 48. in 12. nostri Aprilis. Sed notandum, quod illi primum Judæorum mensem *Nisan* sive *Abib*, uti vulgo statuitur, conferant cum nostrò Aprili, non quidem præcisè coincidente, *Ijar* verò vel secundum cum nostrò Majò, uti quod spectat *Calvisium*, patet ex illius l. c. c. 14. p. 49. & quod reliquos, ex adfensu eorum. Vid. ita quoque menses conferre Doctissimus *Seldenus* in dissert. de Calend. Veteris eccles. s. Reipubl. Judaic. c. 6. p. 25 seq. Hic autem nempe *Alstedius* primum Judæorum mensem refert ad nostrum Martium, & retrofiorem quidem paulò ipsius partem, ita ut primus *Nisan* dies respondeat duodecimo nostri Martii, porrò

20. *Nisan*. diei 31. nostri Martii
 21. N. -----Kal. --- Aprilis
 30. N. vel ult. --10. -----
 1. *Ijar* -----11. -----
 2. -----12. -----

Ita quoq; sentit ipse, & Judæos quoq; recentes quosdam facere, testatur in *præf. Calendarii historici* p. 23. *Eberus*, & quod collationem mensium spectat, citatur à *Crellio* in hanc sententiam, etiam *Schindlerus* in *lex. pentagl. col. 532. Add. Buxtorff. in lex. p. 185.* Quoscunq; quis sequi velit, in arbitriò habet positum; Nos ex his & prius allatis tandem hoc ponimus:

Templum Hierosolymitanum inchoatum est anno M. 2933. regiminis Salomonis 4. & quod obiter ex collatione antecedentium addimus (infra plenius de eo agetur) atatis 21. die secundo mensis Hebræorum secundi, nostri vel Aprilis 12. vel Maij 6. adeoq; tempore vernò, trigoni aërei Π ≡ ut vult in speculo mundi Alstedius.

§. XXI.

Annus hic, quod *Ἰαροφεισ μὲ* locò addimus, erat annus *erae Judaicæ* 2740. completus vel 41. iniens. *Aera Chaldaeorum vel Babylonis* 1216. ante *eram Romanam* 264. tot enim annis post illa inchoat, si rectius quidem à *Remo* & *Romulo*, quàm *Roma*, *Itali* filia, initium illius sit, ut volunt auctores. Ante *er. Julianam* a. 1062. ante *Christum* natum 1015. nostrum v. hoc tempus, 2672. Atq; hæc quidem ex mente *Alstedii*, à quò si quis secessum facere, subq; alius defendere velit vexillò, aliter statuat. necesse

neceſſe eſt; mirus enim autorum eſt diſſenſus, & talis quidem, qualem neque *Marrucini*, nedum liberalis ingenii credidiſſent homines. Ita ut pugnam circa adductas æras taceamus, quia ea ex iis, quæ in omnium ferè ſunt manibus, conſpici poteſt, videmus contingere ſciſcitanti tempus inter fabricam templi & nativitatem Chriſti. Si *Judeorum* veſtigiis inſiſtendum, annos numeremus oportet 657. Teſte enim *Dreſſero millen 3. iſag. hiſt. p. 290.* juxta illos Chriſtus natus eſt A. M. 3759. templum verò inchoatum 3102. atqui inter ea 657. anni. Juxta *Euſebium* eſſent anni 2266. Chriſtum enim natum autumat a. M. 5199. Ex mente *B. Lutheri*, quocum faciunt *Dreſſerus l. c. p. 289.* & *Bucholzerus c. l. p. 135.* aliique, ſunt 1037. hi enim Chriſtum natum dicunt A. M. 3970. Juxta *Philippum, Phœnicem* illum *Germania*, uti *Aſtedio c. l. p. 318.* audit, quique eum ſequuntur, *Mathematicos Viennenses & Canones Prutenicos*, eſſent 1030. Chriſtum enim natum ponunt a. M. 3963. quibus ſubtractis 2933. ſpatiò quorum elapſò juxta ipſos etiam templum exſtructum, remanebunt dicti. Plura non adducimus, præter hoc unicum: per annos, ubi ubi etiam mentionem eorum fecimus, intelligendos eſſe ſolares, utpote uſitatiffimos & communiffimos, quemadmodum in talibus apud alios quoque fieri deprehendimus.

cæterùm

Ut B. L. in §. V. lin. 25. pro quadraginta quinquaginta legere velit, rogamus.

Tugend wird wohl angeleget / wenn man trachtet nach der Tugend /
Täglich ſeine Sinnen trägt dem nach / was recht iſt behäglich /
Bündel wie Er / werther / thut das zuſammen / welchem windet
Schöne Fied zum Ehren-Zut Pallas / welchem Luſt- Gerhöne
Machen der Euterpen Flören / drob die Himmel ſelbſten lachen.
Solchen kan die Zeit nicht tödten / Preiß muß ſeinem Nahmen folgen.
Lezlich in dem Alter = Thum muß ihm alles ſeyn ergöglich /
Jugend folget Nuß und Ruhm / wenn ſie liebet nur die Tugend

Mit dieſen höchſtabgeeileten verſichert ſeinen Herrn
Stubengeſellen der ſchönen Früchte ſeines
Fürnehmens

M. Ludewig.

FINIS.

153 044

ULB Halle

3

003 484 998





5b

ATB 153 044

VD 17







25.

I. N. S. S. T. A.

DE

TEMPLUM
SALOMONÆO,
QUANDO, UBI, A QUO, EX
QUIBUS ET QUOMODO EX-
STRUCTUM FUERIT,
DISPUTATIO PRIMA
EXHIBES QUANDO,

Quam
Amplissimæ Sepectatissimæque FACULTATIS PHILO-
SOPHICAE JENENSIS PERMISSU,
Publicæ placideq; Eruditorum ætæ ad submittit
PRÆSES

M. MICHAEL CHRISTIA-
NVS LVDOVICI

Tröbnic.

RESPONDENTE

JEREMIA BINDERO VINARIENS',

ad diem Januarii,

M DC LIX.

H. L. Q. S.

Typis SAMUELIS KREBSII.

